

ACTUS

DECLAMATORII ANASCEUASTICI,

qui est
de

STUDIO TIMORIS FALSI,

DECLAMATIO II.

contra

TIMOREM

IMPOSTORIS ORIENT. MUHAMMED.

17

Quemadmodum post hominum memoriam, A. V. nulla unquam gens fuit aut natio, quae non eandem, quam vel semel a Majoribus suis acceperat religionem, totaq; mente quasi combiberat, et propagari et conservari voluerit; ita profecto Muhammedani hodie diuturna illa persuasione à Satana sic confirmati sunt: ut ad eandem ex animis ipsorum excellendam satis aptum atq; idoneum medium nullum omnino excogitari posse videatur. Trahunt a. nominis sui originem ab insigni illo ac famoso Arabum impostore, Muhammede. Quotquot n. anilia illiq; commenta receperant, legemq; Alcorani, tanquam coelitus delapsam, divinis prosecuti fuerant honoribus, Muhammedani dicebantur. Atq; sic impiissimae, quidem ac pestiferae opiniones, quas progeneraverat impiissimus Muhammedes, quaedam quasi contagione serpentes, omnes propemodum totius terrarum orbis partes florentissimas pervadere coeperunt. Videmus enim hanc lue pestiferam universum Osmaniidarum Imperium infectum. Infectas nempe Aegyptum, Syriam, Armeniam, Mesopotamiam, Chaldaeam, Cappadociam, Asiam minorem, Graeciam omnem, Macedoniam, Wallachiam, Bulgariam, Pannoniam, aliasq; regiones videmus. Sed et Ceythas, Tartaros, Persas, Indos, Arabes, Aethiopes, ceterosq; Africanos; quos et Europeanos, proximè nobis vicinos, longo autem tempore, in Hungaria praesimilis, placitis Muhammedicis